Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctilogium Angliae, Walliae, Scotiae, et Hiberniae, ergänzt durch weitere Heiligenlegenden und -viten - Cod. St. Georgen 12

Johannes <Tinmouthensis>

[s.l.], um 1425

Illustration: [Historieninitiale; Mariae Himmelfahrt]

urn:nbn:de:bsz:31-68928

Visual Library

Lanceam militis capiti eius custodiendum cuilibet illa nocte commendavit, ut ante autem sed nullo conamine capiti eius movere potuerunt. Liquet ergo quod deo et eius sanctissimo baptista non erat ob placitum translatio de regno ad regnum per corporis loci quasi ad spectaculum caput ipsius deferri, et eorum quos penes est gratiam lucri vel honoris seu favoris acquirendi. Caput autem quod matris in illa corde tenuisset, oculis ipsis mirabilis choruscantibus illum cum maioribus in celo manere cunctis innotuit.

Explicit liber septimus. Liber incipit octavus.

Kalendas Augusti. De vincula sancti Petri.

Festum sancti Petri quod dicitur ad vincula quadruplici de causa institutum fuisse putatur. Scilicet in memoriam liberacionis Petri, secundo pro liberacione Alexandri pape, tercio pro destruendo ritu gentilium, quarto pro impetranda absolucione spiritualium vinculorum. Prima causa est in memoriam liberacionis Petri. Legitur enim in hystoria ecclesiastica quod mortuo imperatore Tiberio et Gaio ad imperium sublimato, misit Herodem in Iudeam, qui Herodem tunc fuit natus ut affligeret quosdam de ecclesia. Occiso autem Iacobo fratre Iohannis gladio ante dies azimorum, et videns quia hoc gratum erat Iudeis, Petrum apprehendit et in carcerem recludit, volens post pascha producere eum populo. Angelus autem ei nocte assistens mirabiliter eum a vinculorum nexibus absolvit, et ad ministerium predicacionis liberum ire iussit. In memoriam igitur huius liberacionis principis apostolorum a vinculis ecclesia festum petri advincula solempnizat. Et in eius hoc evangelio. Hoc festum debet vocari petri a vinculis. Secunda causa instituendi exstitit, qui Alexander papa quintus post beatum Petrum rexit ecclesiam, et Hermes prefectus urbis Rome qui per Alexandrum ad fidem conversus fuerat, a Quirino tribuno in diversis locis in custodia tenebantur. Dixit tribunus ad Hermetem: Miror te et Alexandrum custodiam duplicabo et si ipsum tecum vel te cum illo invenire potero, vere fidem tuis et eius sermonibus adhibebo. Fecit quod dixit, et Alexander hoc primus nunciavit. Orante autem sancto Alexandro angelus ad eum venit, et ipsum ad Hermetem in carcerem adduxit. Et inveniens eos Quirinus insimul plurimum admiratus est et ait. Habeo filiam gutturosam nomine Balbinam, promitto me tuam recipere fidem si filie mee impetrare poteris sanitatem. Cui Alexander: Vade cicius et ipsam in carcerem meum ducito. Et ille: Cum hic sis, quomodo in tuo carcere te potero invenire? Ad quem Alexander: Vade cito, quia qui me huc adduxit, illuc me cito reducet. Adducta autem filia ad carcerem, cecidit ad pedes sancti Alexandri, et devote vincula sua cepit osculari. Cui Alexander: Noli filia has meas osculari cathenas, sed vincula sancti Petri diligenter inquire, quibus devote osculatis recipies sanitatem. Quibus diligenter inquisitis et inventis, Balbina illas osculatur et sanitati integre restituitur. Alexandrum de carcere extrahit, et cum omni familia sua Quirinus baptisatur. Tunc sanctus Alexander hoc festum in Kalendas Augusti celebrandum instituit in honorem Petri apostoli ecclesiam fabricavit, ubi vincula posuit, et ad vincula nominavit. Tercia causa secundum Bedam talis est. Octavianus imperator et Antonius sibi invicem affinitate coniuncti, inter se Romanum imperium diviserunt, ut Octavianus in occidente, Antonius in oriente imperarent. Antonius sororem Octaviani accepit uxorem, sed ea repudiata, Cleopatram reginam Egypti accepit.

usus est. Ob hoc indignatus Octavianus, manu armata contra Antonium processit et ipsum in omnibus expugnavit. In memoriam itaque et honorem victorie illius quam prima die Augusti Octavianus habuit, omnes Romani hac die colere incepit usque ad tempus Theodosii imperatoris qui anno domini 400 sedebat, cum Honorius et Arcadius regnabant. Eudoxia quidem uxor eius duas cathenas quibus sub Herode Petrus vinctus fuerat de Ierusalem Rome detulit, et habita collatione cum Pelagio papa, blandis exhortationibus ipsum induxerunt, et oblivioni traderet memoriam principis paganorum, et celebris fieret memoria principis apostolorum. Quod dum cunctis placuisset, illa cathenas quas de Ierusalem tulerat protulit et pape ostendit. Papa vero et illam cathenam qua sub Nerone idem apostolus vinctus fuit demonstravit. Hec igitur illis sociata ita miraculose una cathena facta est, ac si semper una et eadem extitisset. Unde et papa et regina statuerunt, ut quod hominum indiscreta religio faciebat gentili dampnato, mutatum in melius fieret apostolorum principi Petro. Hec Beda. Quarta causa institucionis assignari potest. Dominus enim a vinculis Petrum mirabiliter absolvit et eidem ligandi atque solvendi potestatem dedit. Nos autem vinculis peccatorum obligati tenemur et absolui indigemus. Ideo igitur solempnitatem que dicitur ad vincula honoramus, ut sicut ipse a vinculis absolvi promeruit, et absolvendi a domino potestatem accepit, sic et ipse a peccatorum vinculis nos absolvat. Quod autem per claves quas accepit, etiam dampnandos absolvat, satis claret. Apud Coloniam in monasterio sancti Petri erat quidam monachus levis, lubricus et lascivus. Hic subita morte fuisset preventus, demones ipsum accusabant, et quodlibet peccatorum genera contra ipsum clamabant. Unus dixit: Ego sum cupiditas tua, qua tam frequenter contra dei precepta concupisti. Alius clamabat: Ego sum vana gloria qua te apud homines iactanter exaltasti. Alius ait: Ego sum mendacium in quo peccasti. Et sic de reliquis peccatis. Sanctus Petrus cuius erat monachus pro ipso deprecaturus dominum adiit. Cui respondit dominus: Nonne propheta me inspirante ait: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut requiescet in monte sancto tuo. Qui ingreditur sine macula, etc. Quomodo potest hic salvus esse, cum nec sine macula sit ingressus, nec sit iusticiam operatus. Rogante igitur pro eo Petro cum virgine matre dei, hanc dominus sententiam protulit, ut ad corpus rediret et ibi penitentiam ageret. Tunc confestim Petrus clavem quam manu tenebat diabolum terruit et in fugam vertit, et animam ad corpus reduxit.

De Sophia cum tribus filiabus suis.

Mulier nobilis nomine Sophia cum tribus filiabus suis adveniens Romam, exercite religionis et sobrietatis multas ac nobiles feminas convertit ad fidem. Et adherentes ei uxores suorum et sumptuosis conviviis abstinebant. Unde indignatus quidam priorum civitatis nomine Antiochus suggessit Adriano imperatori dicens: Mulier quedam cum filiabus suis nec aliter in Christi cultu quemquam proficere posse asserunt, nisi a coniugio et delitiis abstineant. Horrida domini uxores nostre deserentes illos iam nec ad consorcium nec ad cibum nobiscum veniunt. Tunc imperator iratus iussit evocari mulierem et filias eius. Erant enim puelle speciose valde et divinis sermonibus erudite. Et interrogavit matrem de nomine suo. Que respondit: Optimum et nobile est, christiana michi nomen est. Secundum carnem vero vocor Sophia, de genere primo et eminenti existens Italie, et veni Romam cum filiabus ut eas offerrem in munere Christo. Tunc Adrianus iussit eam custodiri, mittens cum filiabus suis in domo Palladii senatoris. Tercio die iussit imperator adduci filias medio sequito

Margin: Nota Augustinum

Margin: De Sophia et filiabus eius. [illegible]

Margin: Tempore Adriani imperatoris

Margin: 1 ingressa hanc civitatem septimo die a nobis matronis non [illegible] Romani cum tribus filiabus eius

Margin: 2 Ingressi ergo cum palladii secutus se [illegible] filias mulieris [illegible] et cum [illegible] eius ad [illegible] post [illegible] [illegible]

Margin: 3 Veniebant autem eas in illa custodia ad [illegible] filias mater ad contemplationem [illegible] pro Christo